

libero creaturarum existentium, constat ex dictis, quia abesse potest ille amor, non autem processio Spiritus sancti, licet concomitanter ipse amor Spiritus sancti libere se habeat ad creaturas. Ex amore autem libero creaturarum possibilitium non procedit, quia talis amor non datur, ut supra circa quæstionem XIX late ostendimus. Si tamen liber ille amor esset non conducirer ad processionem Spiritus sancti, quia hæc omnino necessaria est; et ita amor creaturarum nunquam pertinet ad perfectionem amoris divini, nec nisi concomitanter in processione Spiritus sancti dari potest. Nec Scotus posuit processionem Spiritus sancti esse liberam, sumendo liberum pro contingente quod deesse potest, sed pro voluntario, seu non coacto, ut opponitur violento, non ut opponitur necessario. Cognitio autem creaturarum pertinet ad perfectionem divinæ cognitionis, qua se comprehendit, et qua per se quarto modo attingit potentiam creativam quam communicat Filio.

ARTICULUS III.

Utrum si Spiritus sanctus non procederet a Filio, distingueretur ab illo?

Duo in hoc articulo involvuntur. Alterum quod supponit; alterum quod inquirit. Supponit Spiritum sanctum procedere a Filio, inquirit an distingueretur ab illo, si ab eo non procederet. Illud primum licet supponatur de fide, tamen quia circa ipsum valde tenaciter a Græcis erratum est, operæ pretium videtur punctum erroris eorum aperire, et Ecclesiæ contra ipsos stabilire definitionem.

GRECORUM ERROR CIRCA PROCESSIONEM SPIRITUS SANCTI REJECTUS.

I. Post hæresim Macedonii, qui Spiritus sancti divinitatem aperte negavit, ut supra disp. XII, art. I, vidimus, exurrexit in Concilio Ephesino novus Græcorum error circa processionem Spiritus sancti, nam Theodoretus objecit D. Cyrillo in contradictione noni anathematis, quod Spiritus sanctus non procedit a Filio, quia id Scriptura non dicit, sed quod a Patre procedit, et eodem modo id ponitur in symbolo Concilii Nicæni primi, et Constantinopolitani. Ita habetur objectio Theodoretum in ipso Concilio Ephesino tomo II, cap. XXXI. Cui errori sic insurgenti primus restitit S. Cyrillus Alexandrinus in defensione ejusdem noni anathematis, et in epistola decima, et in libro primo de fide ad reginas, aliisque pluribus locis. Ut autem docet S. Thomas in hac quæstione XXXVI, a. II ad III, fuit primus expressus hic error a Nestorio, et Nestorianis in quodam symbolo ab ipsis introducto, a Synodo Ephesina damnato, unde sumpsit Theodoretus. Sed tamen Theodoretus abdicato a Nestorianis studio, eorum quoque errorem condemnavit, vereque ab eis resipuit, ut ex pluribus ejus epistolis docte colligit cardinalis Baronius anno Christi 436, n. XI. Sed et omnia Theodoretum scripta contra S. Cyrillum in quinta Synodo generali sanctorum patrum sententia condemnata sunt in collatione prima, ubi vocantur impia scripta Theodoretum, quæ contra rectam fidem, et Ephesinam primam sanctam Synodum, et contra sanctæ memoriæ Cyrillum, et ejus duodecim capitula exposuit. Et tamen in fine collationis quintæ, addit sancta Synodus non ante fuisse Theodoretum a Chalce-

donensi Concilio susceptum, nisi prius anathematizasset Nestorium. Quare cum a Nestorii symbolo illum errorem hauserit Theodoretus, et ipsum in contradictione noni anathematis contra Cyrillum defenderit, cum omnia hæc damnata ab ipso referantur in quinta Synodo generali, ejusque scripta contradicentia Cyrilli anathematismis fuerint condemnata, videtur in ipso exorientis hujus erroris initio ipsum omnino fuisse sopitum aut repressum, etiam ab ipsis patribus Græcis.

II. Cæterum invenitur repullulasse hic error in posterioribus Græcis auctoribus, etsi cum aliqua moderatione. Nam D. Thomas in hac eadem quæstione XXXVI, art. III ad III, respondens argumento deducto ex auctoritate Damasceni lib. I de fide, cap. XI, ubi dicit, quod: » Spiritum sanctum ex Filio non dicimus, Spiritum vero Filii nominamus, » respondet plures in hoc fuisse secutos Theodoricum Nestorianum (Theodoretum legendum puto) inter quos fuit etiam Damascenus. Quare hic error ita propagatus est, quod tamen sese explicuerit, non omnino negando Spiritum sanctum dicere ordinem ad Filium, quod tamen in primo initio hujus erroris videtur negasse Theodoretus, non solum negando Spiritum sanctum procedere ex Filio, sed neque per Filium. Unde D. Thomas non absolute dixit Damascenum habuisse errorem Theodoretum, sed secutum esse ipsum, scilicet in aliquo, nec enim in omnibus esse secutum idem D. Thomas agnoscit quæst. X de potentia, artic. IV ad ultimum, ubi refert epistolam Theodoretum dicentis Spiritum sanctum, neque a Filio esse, neque per Filium; cum tamen Damascenus ponat esse per Filium, sed non a Filio. Et sic aliquantulum moderati sunt posteriores Græci priorem errorem, agnoscendo esse per Filium,

et esse Spiritum Filii, sed non a Filio. Alii vero patres Græci, qui circa tempora Damasceni, vel paulo ante floruerunt, ut Anastasius Sinaita, qui fuit ante sextam Synodum generalem, et Sophronius, qui ante eandem Synodum floruit, et Tharadius patriarcha qui fuit ante septimam Synodum, recte de hoc puncto videntur sensisse, nec contrarium dogma propugnasse.

III. Luculentius postea hanc Græcorum doctrinam, et explicationem expressit Theophylactus, Joanne quidem Damasceno, et aliis patribus relatis recentior, licet de tempore quo vixerit, et floruerit non omnino constet, aliis quidem ut Panuino in fastis sub Basilio seniore sub annum 883, aliis, ut Sixto Sennensi sub Michaele Porphyrogenito circa annum 842, aliis vero, ut Baronius sub Michaele Duca ad annum Christi 1071, ut in eodem anno, numero XV, et sequentibus pluribus probat, et quidem satis probabilibus conjecturis. Ut ut est, is auctor Græcorum errorem suo tempore vigentem circa hunc articulum de processione Spiritus sancti ita declaravit ac distinxit super caput III Joannis ad illa verba: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* « Latini, inquit, male hæc exponentes, et minus recte intelligentes dicunt quod Spiritus etiam ex Filio procedat. Nos autem hoc primum dicimus ad eos, quod aliud sit ex quoquam, et aliud esse cujusdam; ut Spiritus est quidem Spiritus Filii absque dubio, et ab omni Scriptura approbatum: cæterum esse ex Filio, nulla Scriptura testatur, ut ne duo principia Spiritus introducamus Patrem, et Filium. » Et infra: « Dicitur autem Spiritus esse Filii, secundum quod virtus et veritas, et sapientia. Spiritus autem sanctus, et veritatis et fortitudinis, et sapientiæ Spiritus

ab Isaia describitur. Et aliter, quia per Filium hominibus datur, propterea Filii dicitur. Crede igitur tu a Patre Spiritum quidem proficisci, per Filium autem dari creaturæ.» Hæc Theophylactus.

IV. Fervebat per id tempus Græcorum schisma, quod aperte proruperat temporibus Leonis IX, sub annum 1053, atque valide Græcorum doctores inter quos Theophylactus, quæstionem hanc de Spiritu sancti processione ventilabant, ita ut non modicum Latinis catholicis negotium facerent. Unde in Concilio Barensi (apud Barium in Apulia) coacta ab Urbano Papa II, circa annum 1097, cum quæstio satis involveretur, Græcis non improbabiler occurrentibus, ut inquit Wilhelmus Malmesburiensis de gestis pontificum Anglorum lib. I: «Pontifex Anselmi recordatus, exclamat: Pater et magister Anselme Anglorum archiepiscopo, ubi es? Ille ubi se vocari audivit, in pedes constitit. Quem apostolicus compellans: Nunc, inquit, magister opus est scientia, opus eloquentiæ tuæ opera. Veni, ascende huc, et defende matrem tuam Ecclesiam, quam Græci labefactare conantur.» Sic S. Anselmum ad disputandum cum Græcis papa Urbanus tunc accendit. Nec intento suo fraudatus est. Nam illos S. Anselmus omnino convicit. Et quidem illius Concilii acta perierunt. Sed Anselmi disputatio et rationes in libro quem de processione Spiritu sancti edidit permanserunt.

V. Deinde vero contra Græcos actum est tum in Concilio Lateranensi sub Inocentio III, tum in Lugdunensi sub Gregorio X, tum denique in Florentino sub Eugenio IV, in quibus constanter definitum semper fuit Spiritum sanctum ex Patre et Filio procedere. Sed Græci explicaverunt amplius mentem

suam, nempe se nolle concedere quod Spiritus sanctus procederet etiam ex Filio, quia existimabant per hoc poni a Latinis duo principia Spiritu sancti, nec esse utramque Personam unicum illius emanationis principium, quia processio ex aliquo apud ipsos designabat processionem ex aliquo ut a primo principio, non accipiente ex alio. Unde aliquo modo concedebant respectum emanationis a Filio, dummodo non significaretur procedere ex illo, sed per illum. Et sic multi concedebant procedere a Patre per Filium, hauriri, scaturire, profluere a Filio, sed non procedere a Filio. Et hunc modum loquendi viguisse apud Græcos D. Thomas annotavit, tum in opusculo primo contra errores Græcorum post. c. xxxii, §. Volunt autem, ubi refert Græcos dicere, quod quamvis probetur Spiritum esse, existere, spirari, emanare, et profluere a Filio, non tamen est concedendum quod a Filio procedat; hoc enim, inquiunt, in nulla præmissarum auctoritatum continetur; neque etiam in auctoritate sacræ Scripturæ. Et in hac quæstione xxxvi, art. II: «Etiam, inquit, ipsi Græci processionem Spiritu sancti aliquem ordinem habere ad Filium intelligunt: concedunt enim Spiritum sanctum esse a Patre per Filium. Et quidam eorum dicuntur concedere, quod sit a Filio, vel profluat ab eo, non tamen quod procedat. Quod videtur vel ex ignorantia, vel ex protervia esse.» Ita D. Thomas.

VI. Quapropter res ista in Concilio Florentino summa diligentia pertractata est, et per plures sessiones disputata, præsertim quoad duo, in quibus Græci a Latinis dissentiebant.

Primum, quod licet in Nicæno, et Constantinopolitano Conciliis non fuerit in symbolo expressa illa par-

ticula ex Filio, licuisse tamen id postea addere, et expresse ponere, quia ista non est additio ad fidem antiquam, sed ejusdem major explicatio, et expressio.

Secundum, quod Filius non procedit ex Patre, et Filio tamquam ex duobus principiis, aut causis, ut ipsi loquebantur, sed tamquam ex uno principio, quia unica virtute spirativa, et unica ratione spirationis procedit Spiritus sanctus a Patre et Filio, et idem est procedere ex uno atque ex alio, quia utraque Persona æque primo est principium Spiritu sancti nec est major vis, et significatio in Verbo profluere, et emanare, quam in Verbo procedere, nec unum magis exprimitur in Scriptura, quam aliud. Nec propterea Filium esse causam Spiritu sancti, quia ab eo procedat, sicut nec Pater est causa ipsius, aut causa Filii, quia procedunt ab eo.

VII. Quare in Concilio Florentino in ultima sessione, cum de componenda pace inter Græcos, et Latinos ageretur, præcipui inter ipsos agnoverunt Latinos vere, et juxta Scripturas, et sanctos patres asserere quod Spiritus sanctus ex Patre, Filioque procedit, quandoquidem ipsi juxta sacros doctores etiam favebantur ex Patre per Filium procedere, a Filio mitti, profluere, scaturire, quod totum erat in veritate dicere quod ex Filio, et Patre accipiebat esse, et quod Latini non ponebant Patrem, et Filium esse duas causas aut principia Spiritu sancti, sed unicum principium; et sic cum ipsis concordari debere etiam in illa voce ex Filioque procedit. Ita ibi coram imperatore orientali affirmavit Gregorius Scholarius vir inter eos doctissimus, Josephus patriarcha Constantinopolitanus, Ruthenus episcopus, cardinalis Bessarion. Mytilenensis præsul, aliique qui præcipui habebantur, et tandem om-

nes alii, qui ante vehementissime repugnabant, excepto Marco Ephesio, qui in sua perfidia permansit. Sic ergo quæstio ista disputationibus ventilata est, ut ad differentiam in verbis cum aliquorum protervia devoluta sit, et ut recte dixit S. Thomas quæst. I de potentia, art. IV: «Si quis recte consideret dicta Græcorum, inveniet quod a nobis magis differunt in verbis, quam in sensu.» Verbum enim procedendi, ut ipse D. Thomas inquit in hac quæstione xxxvi, art. II communissimum est inter omnia, quæ ad originem pertinent. Unde qui concedunt a Filio profluere aut quomodo-cumque oriri Spiritum sanctum necesse est quod ab ipso procedere dicant.

VIII. Licet autem veritas hæc in pluribus Conciliis definita sit ab Ecclesia, post schisma quidem Græcorum quod temporibus Leonis IX, prorupit in Concilio Barensi sub Urbano II, in Lateranensi sub Innocentio III, in Lugdunensi sub Gregorio X, in Florentino sub Eugenio IV, ipsis Græcis consentientibus, et concordantibus; ante schisma vero in Concilio Nicæno II in confessione fidei; videturque virtualiter tradita in aliis Conciliis, ubi approbata est epistola decima Cyrilli, ubi expressis verbis docuit Spiritum sanctum a Filio effundi, aut emitti, aut procedere; illa autem epistola approbata est in sexta Synodo, act. XVII, et in quinta Synodo, actione VI, et in Ephesina, II tomo, cap. III et V. Et sic refertur in decretis de consecratione, dist. V, canone penultimo, ubi Gratianus ex epistola illius Concilii Ephesini ad Nestorium dicit, quod: «Spiritus sanctus ex Filio, sicut ex Patre procedit.» Attamen inquirere potest aliquis, quibus fundamentis Ecclesia in his Conciliis ducta sit ad hoc definiendum.

IX. Dicimus ergo Ecclesiam inve-

se sufficiens fundamentum ad hoc definiendum et declarandum, tum in Scriptura, tum in concordia patrum expositione ante ortum schisma Græcorum, quæ æquivalet traditioni ecclesiasticæ et apostolicæ. Quibus additæ sunt theologicæ rationes ex principiis fidei deductæ, quas latius tradit S. Thomas IV contra gent. cap. XXIV et in præsentis quæstione XXXVI, art. II reduxit ad tres.

Fundamentum vero ex Scriptura, et patribus late adduxit S. Thomas opusculo primo quod contra errores Græcorum composuit de mandato Urbani IV et plura testimonia adducit a capite XXXII. Post modum vero in ultima definitione qua Ecclesia rem hanc determinavit, prolixè, et latissime auctoritates adductæ sunt in Concilio Florentino per plures sessiones. Nos solum summatim aliqua præcipua testimonia carpemus. Qui plura videre voluerit ad prædictos fontes recurat.

X. Ex Scriptura ergo habentur tres propositiones, quæ stare non possunt sine vera processione Spiritus sancti a Filio. Prima, quia Christus dicit quod : *Spiritus sanctus de meo accipiet*, Joan. XVI. Secunda, quod dicit : *Se missurum Spiritum sanctum*, Joan. XV et XVI. Tertia, quia Spiritus sanctus dicitur Spiritus Filii, ad Gal. IV : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*: Roman. VIII. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Quod vero istæ locutiones stare non possint sine vera, et reali processione, sic patet. Nam nulla Persona accipit aliquid ab alia, nisi procedendo ab illa, sed Spiritus sanctus accipit a Filio : ergo procedit ab illo. Minor eonstat ex dicto loco Joan. XVI : *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*. Major constat, quia nullus accipit quidquam ab alio, nisi id quod accipit ab alio per aliquam actionem, seu motum ab illo emanet, sive per ac-

nitionem accidentalem sive substantialem, sed Spiritus sanctus non accipit a Filio aliquid accidentale, aut per actionem accidentalem cum sit Deus expers omnis accidentis, ergo accipit substantiam a Filio per actionem substantialem, quod est procedere in esse, et substantia a Filio. Nec dici potest quod illud verbum de meo accipiet, non est idem quod de me accipiet, sed de meo, id est, de meo Patre, vel de meo, id est, de substantia divina, quæ etiam est mea, sed a solo Patre. Contra hoc enim revincitur ex subiectis a Christo Domino : *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt, propterea dixi vobis, quia de meo accipiet*. Si ergo propterea dictum est de meo accipiet, quia quæcumque habet Pater mea sunt : ergo etiam vim producendi Spiritum sanctum habet Filius sicut Pater, quia omnia habet quæ Pater, alias non omnia haberet, si illa virtute careret. Unde hanc Christi Domini rationem sic intellexerunt Athanasius in epistola ad Serapionem, Didymus in libro de Spiritu sancto et citatur a Thoma in catena Joannis XVI, Hilarius VIII de Trinitate, sumiturque ex Basilio libro III et V contra Eunomium, et citatur a D. Thoma prædicto opusculo primo citato post caput XXXII. Et tandem hac ratione usus est papa Eugenius IV in litteris unionis, cum definivit procedere Spiritum sanctum a Filio.

XI. Ex secunda propositione idem deducitur, quia Filius non potest mittere, neque dare id quod a se non egreditur, sicut non potest dici quod mittat Patrem, quia Pater non procedit a Filio. Quod ergo mittitur a mittente egreditur, et egredi procedere est : nec enim una Persona egreditur ab alia per actionem accidentalem, vel motum localem, cujus capax non est : si ergo egreditur, est per processionem substan-

tialem : sed Spiritus sanctus mittitur a Filio, Joan. XV : *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre*: et c. XVI : *Si autem abiero, mittam eum ad vos*: et similiter Apostolus dedit Spiritum sanctum Joan. XX : *Accipit Spiritum sanctum*. Et sic intellexit ista loca Athanasius in præfata epistola ad Serapionem, inquit : « Hic est ordo naturæ divinæ a Patre, et Filio, ut qui a nullo est, a nullo mittatur, et qui est ab alio, in nomine suo non veniat, sed in nomine ejus a quo existit : ita Spiritus sanctus quia a se non est, a se venire non debuit, sed in nomine illius a quo est, et a quo habet ut hypostasi sit Deus, quemadmodum de eo dicit Filius : *Paraclitus Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo*. » Et Niceas super Joannem, quem citat D. Thomas præfato opusculo primo citato §. Similiter autem, inquit : « Non alia proprietate Pater mittit Spiritum, qua proprietate non mittit Filius, vel aliqua alia proprietate Filius mittit Spiritum sanctum qua non mittit, et Pater. » Et iterum idem Niceas : « Filius Spiritum sanctum de se dat ut Pater. » Nec potest dici quod Filius solum dat, vel mittit donum creatum gratiæ, non Personam increatam Spiritus sancti. Nam certum est Personas divinas inhabitare nobiscum, et dari nobis ut maneant in nobis, non solum ut effectus ejus in nobis sint, cum dicitur Joan. XIV : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* : proprie donum illud creatum quod qualitas quædam est, mitti dicitur, sed mitti pertinet ad aliquam Personam, quæ mittitur et egreditur ab alia : ergo non solum dona gratiæ sed Personæ ipsæ mittuntur, præsertim cum dicat Athanasius in quodam sermone Nicæni Concilii, et in epistola citata ad Serapionem, ut citat D. Thomas præfato opusculo

quod : « Datur nobis Spiritus sanctus a Filio de sua essentia, et ut coessentialis sibi, » quod de nullo dono creato verificari potest.

XII. Denique, tertia propositio, scilicet quod Spiritus sanctus sit Spiritus Filii, constat ex supra allegatis locis, et Act. XVI : *Tentabant ire in Bithyniam, et non permisit eos Spiritus Jesu*; et quia dicitur Spiritus veritatis, qui a Patre procedit, Joan. XV, ipse autem Christus est veritas. Et dicitur Psalm. XXXII : *Et Spiritus oris ejus omnis virtus eorum* : os enim Patris Filius dicitur. Nec sunt diversi Spiritus, alter Patris, alter Filii, cum sit solum una Persona Spiritus sancti, non duo Spiritus sancti, quomodo autem teneat illa consequentia : Spiritus sanctus est Filii : ergo procedit ab illo, quam Theophylactus, et alii Græci negant, quia esse Filii dicitur quasi possessive, sed non processive : dicimus tenere hanc consequentiam, quia Spiritus sanctus possidetur a Filio, et est Spiritus Filii, sicut Persona ab ipso distincta : si ergo non est ab ipso existens, vel e converso, non est fundamentum ut dicatur esse ejus, quia non dicitur Spiritus sanctus esse Filii, quasi Persona ei subjecta, et serva, sed ut æqualis : ergo quia pertinet ad ipsum per aliquam relationem, et originem; et sic, vel quia est a ipso Filio, quod nos intendimus, vel quia Filius a Spiritu sancto, quod nec Græci possunt dicere. Unde et hoc pacto intelligit hoc Athanasius, et Cyrillus super Joannem, et aliis locis, quæ allegat S. Thomas opusculo primo citato.

XIII. Eadem veritatem accepit Ecclesia ex concordia patrum sententia, ut tandem ipsi Græci viderunt, et confessi sunt in ultima sessione Concilii Florentini. Et præter Athanasium quem toties D. Thomas citat, tum in epistola ad Sera-